

1. Nun Joseph deceptus fuerit. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18, 23.
De edificatione 1 Joh. 11, 2.
3. De amicitia baptiste. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De uictu Baptistae Mat. 3, 4. Mr. 1, 6
5. Cantus super monte Mat. 5, 14.
6. De beatorum pueri circa Eleemosynas. Mat. 6, 2
7. Proterum Ananias. Vanitas. Mat. XV, 9.
8. De signis temporum observandis Mat. 16, 1-4
9. De confes. Petri & Rosp. Xpi Mat. 16, 13-19. Inuicij.
10. Tu es Christus filij Dei. inuentio. Mat. 16, 16.
11. De claris uerbis. Mat. 16, 19.
12. De auctoritate Clav. solis & lig. Mat. 16, 19
13. De diabolis & Xpi solutus Mat. 17, 24 & ^{Parabola}
14. Super de operariis uinua Mat. 20, 1-16
15. Vol. Xpi congregari uolentes Mat. 23, 37.
16. Chabululul. De haecomo Euph. Mat. 24, 14.
17. De otidagio X. Mat. 24, 28
18. Ager sanguinis Mat. 27, 3-11.
19. Tumba serratoris. Mat. 27, 60
20. De Anti. Judaeis de. Mat. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De cura mortis & olam. Sanctis. Mr. 6, 13. Jer. V, 14 &
22. De incarnatione mysterio Luc. 1, 35
23. De Maria Xpi preservata.
24. De nocte Iesu. Luc. 2, 21
25. De uenit. absp. peccatoris Luc. 7, 47, 48
26. Probationes Luc. 8, 13
27. Xpi curam Sabbathica Luc. XV.
28. De demonia mystice Luc. XVI, 9
29. De caris. Luc. 16, 9
..... Luc. 16, 9.
30. De lacrimis X. Luc. XIX, 41.
..... in gladius accendit Luc. 22, 78

oo
R

+

33. Vetus & Vetus alienus. Luc. 22, 31, 32
34. Sicut duo gladii Luc. 22, 38
35. De Nazarethi peregrinantis Joh. 1, 12
36. De Officio & Prophetia Joh. 1, 18
37. De Tempore & Personis Solitudinis & expectare Joh. 2, 19
38. De Regeneratione Joh. III, 3, 5
39. De Conversione Samaritanorum Joh. 4, 1-43
40. De indubitata credendi Principio Samaritanorum. Joh. 4, 2 sequ.
41. De adorare in spiritu & veritate Joh. 4, 24.
42. Magnificam. De Tractu Vetus ad filium Joh. 6, 44.
43. De spirituali manducare Corpus & sanguinem Joh. 6, 56
44. Commentariolus n. Joh. 8 as.
45. Mortem cum de mortuis. Joh. XI, 16
46. De Salvatore exalt. Dorothea! Joh. XII, 32
47. De pedilavio Joh. 13, 5.
48. Vitis Calvi mater s. de unione myrrha Joh. XV, 1.
49. In die januis clausis intrant. Joh. 20, 19.
50. Theologia Johannea ^{vera} Joh. 20, 31
51. Theologia Johannea falsa. Joh. 20, 31.
52. Christus ex mortuis resurrexerat Act. 2, 24.
53. Locum de baptismo Act. 2, 38. Inaug.
54. Baptismus primarium Chelidonium. Act. 2, 38
55. Samuel ibreo-Textu. Act. 5, 38.
56. Dicitur per omnia. Hierosolym. Act. xv, 11
57. De gratuita salute. Act. xv, 11. Inaug.
58. Eundem salvandi modum v. & h. Text. Act. xv, 11.
59. De gestis Pauli ap. Athenienses Act. 17, 16. 2 f.
60. Ara ignota di. Bosph. Act. 17, 23.
61. De divina missione. Act. 17, 28.
62. Act. 17, 28. Contra Hellenos & Epicuros.
63. Gallioresque Act. 18, 12-16.

64. Philologie Art XIX, 35.

65. De Reformatione Ecclesie Art 26, 10, 11

66. deq. & difensionem domorum gratis Art 26, 17, 18 *manu*



2. D. B. V.

DE

SIGNIS TEMPORUM OBSERVANDIS,

Ex Matth. XVI, 1. 2. 3. 4.

SOLENNIS DISSERTATIO,

Quam

Ex Venerandæ Facult. Theologicæ consensu,

PRÆSIDE

DOMINO

D. ADAMO RECHENBERG,

Theol. P. Primario & Alumn. Elect. Ephoro,

PRÆCEPTORE atq. PATRONO omni pietate venerando,

D. XXIII. Sept. A. CHR. M DCC IV.

In Auditorio Maj. Principp. Collegii,

Placidæ Θεολογῶντων disquisitioni

submittitur.

M. JOH. ELIAS HELCK, Schleusinga-Fr.

Alumn. Elector.

EDITIO SECUNDA.


LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS.



SIGILLUM
CIVITATIS
SOLINGEN
1711
D. 10. JUNII
1711
SIGILLUM
CIVITATIS
SOLINGEN
1711
D. 10. JUNII
1711
SIGILLUM
CIVITATIS
SOLINGEN
1711
D. 10. JUNII
1711





B. C. D.

INDEX TRACTATIONIS ET RERUM
IN HAC DISSERTATIONE.

- | | |
|--|--|
| <p>§. 1. <i>Pharisæorum & Sadducæorum male-credula curiositas notatur.</i></p> <p>2. <i>Insidiosorum eorum postulatio Signorum, a Christo reprehensa.</i></p> <p>3. <i>Signa tamen temporum observatu necessaria.</i></p> <p>4. <i>Transitio ad explicationem verborum Christi Matth. XVI, 2. 3. 4. de signis istius temporis.</i></p> <p>5. <i>Invidia Pharisæorum erga Christum causa.</i></p> <p>6. <i>Horum insidiosa simulatio & tentatio Christi.</i></p> <p>7. <i>Pharisæorum & Sadducæorum Syncretismus contra Christum initus.</i></p> <p>8. <i>Eorum occæcatio.</i></p> <p>9. <i>Inde Christi objurgatio provocata.</i></p> <p>10. <i>Occasio hujus petita, a curiositate eorum circa signa naturalia.</i></p> <p>11. <i>Dilucidatio verborum Christi de Signis physicis à Pharisæis observatis.</i></p> <p>12. <i>De causis hujus prognostici phisicis, ex Valefio:</i></p> | <p>§. 13. <i>Ulterior earum declaratio ex Gethardo & Vosfio.</i></p> <p>14. <i>Hypocrisis Pharisæorum a Christo merito reprehensa.</i></p> <p>15. <i>Zelus Christi hic memorabilis.</i></p> <p>16. <i>Signa temporis istius præsertim neglecta, quæ præcipua fuerint, recensentur:</i></p> <p>17. <i>Quæ demonstrabant, Jesum esse Mesiam.</i></p> <p>18. <i>Incredulitatis Pharisæorum causa, fuit cordis induratio voluntaria.</i></p> <p>19. <i>Objurgatio Christi severè explicatur.</i></p> <p>20. <i>Cur Christus signum e celo Pharisæis postulentibus dare recusavit, exponitur.</i></p> <p>21. <i>Signum Jonæ Prophete, quare Christus iis proposuerit.</i></p> <p>22. <i>Quod uberius explicatur.</i></p> <p>23. <i>An Christi denegatio signorum ulterius dandorum fuerit simplex?</i></p> <p>24. <i>Porisma I. ex verbis Christi; an liceat a Deo signa vel miracula petere?</i></p> <p style="text-align: right;">25. <i>Am</i></p> |
|--|--|



§. 25. *An miracula post Apostolorum tempora in Ecclesia plane cessarint.*

26. Porisma II. an signa physica observare, indeque eventus naturales præfagire liceat?

27. Signa & mirabiles operationes etiam Diabolus edere potest: ubi de signis astrologicis animadversio additur.

28. Porisma III. quod nova signa & miracula in Ecclesia plantata, non sint necessaria.

29. Finis signorum & miraculorum varius declatur.

30. Miracula non sunt certa vere ecclesie signa.

31. Quod ex Pontificiorum quorundam placitis probatur:

32. & ex S. Scriptura ulterius demonstratur.

33. Miracula à Lutero Reformatore Ecclesie, à Pontificiis ini- que postulatæ.

34. Porisma IV. idque practicum, de Signis temporum recte dijudicandis.

35. In his opus prudentia Christiana.

36. Inde signa distinguuntur, que dijudicanda sunt.

37. Illorum quedam naturalia, quedam præternaturalia, quedam supernaturalia sunt.

38. Quid miracula proprie sint.

39. Nos de signis hic reipublicæ &

Ecclesie ominosis, quæ prodigia aut præfagia vocantur, præcipue disquirimus.

§. 40. *Distinctio illa signorum aut prodigiorum vel reipublicæ, vel Ecclesie ominosa, ex Matth. c. XXIV. dilucidatur:*

41. *Ad nostra tempora (quod quidem statum rerumpublicarum attinet) applicatur.*

42. *Temerarium profanorum hominum de iis iudicium notatur.*

43. *Prudentia hic commendatur, ne iudicando, vel in excessu, vel defectu peccetur, quod exemplis ex historia comprobatur.*

44. *De signis & prodigiis sanguineis sæpe fictis atq; superstitionis.*

45. *Causse in hac parte superstitionis ex gentilismo & vana barbaris augurum.*

46. *Qui in defectu circa ejusmodi signa dijudicanda peccant, notantur.*

47. *De signis ominosis, quod statum reipublicæ ejusq; conversionem attinet.*

48. *Norma iudicii hic ex Mose & Prophetis petenda, nec temere futurorum fatorum circumstantiæ determinanda.*

49. *De signis nostri temporis Ecclesie ominosis.*

50. Ob-

§. 50. Observatio circa talia signa
ex historia ecclesiastica, me-
morabilia.

§. 51. Quæ aliis ulterius illustratur
exemplis.

§. 52. Regula inde circa signa tem-

porum dijudicanda proponi-
tur, addita cautela.

§. 53. Coronidis loco, ex Sermo-
nibus Augustini ultimis ad-
monitio Christiana subji-
tur.

§. I.



A est hominum perversorum in religione vel diffidentia, vel curiositas; ut sapius, quæ manifesta sunt, aut credere nolint, aut novis signis atque miraculis ea confirmari amplius postulent. Quod certissimo est argumento, multorum mentes aut manifesto stupore, aut malitia laborare; ac adeo fidei, quæ in Christum requiritur, incapaces fieri. Exemplo in historia evangelica in primis sunt Pharisei & Sadducei, quorum insanabilem mentis perversitatem Christus ideo multis in locis redarguit, atque ut illa caveatur, fidelissime monet *Matth. XVI, 6.*

§. 2.

Causam gravissimæ hujus admonitionis vel objur-
tionis Salvatori nostro improba Judæorum secta præbue-
rat. Nam etsi alioqui inter Phariseos & Sadduceos magna
circa propria ipsis placita, animorum dissensio esset; adver-
sus Christum tamen, cujus signa & miracula viderant, ami-
ce conspirarunt, ac quæ illorum hypocritica perversitas fu-
it, *nova insuper signa e caelo*, ab ipso fieri postularunt; simu-
lantes, quando talia patrentur, se eum pro Messia habitu-
ros esse. Christus vero, qui illorum malitiam animi, quam
inepte tegere volebant, jam penetraverat; ideo gravissima
A 3 objur-

objurgationē eam detexit, ac ad *signa temporum istorum* facta jam, cognoscenda & dijudicanda, eosdem v. 3. simul cohortatus est.

§. 3.

Inde, cum fabulam istam Pharisaicam, mutatis tantum personis, & hodie ludi in Ecclesia constet, quisque, si attendat temporum faciem, eam facile deprehendere poterit. Quam obrem explicatis prius Christi verbis, de SIGNIS TEMPORUM OBSERVANDIS, quædam in usum nostrum meditari constituimus. DEUS, cujus honori & gloria litare unice studemus, nostros conatus, quod devote precamur, secundet!

§. 4.

Ne autem, quæ Christus *Matth. XVI, 2. 3. 4.* hypocritas non sine iustissimo zelo docet, ante prætereamus, quam ad scopum nostrum propius pergamus; paucis ejus responsionem objurgatoriam insidiosis quippe quæsitorebus ut tentatoribus datam uberius explicare juvat. Deinde, quæ de *signis temporum* Christianis omnino observatu necessaria sunt, ulterius edisseremus.

§. 5.

Nimirum notissimum est, invidia erga Christum Phariseos & Sadducæos maxime flagrasse; tum quod eorum corruptam doctrinam & ἐδολοθησικείαν redarguisset; tum quod fuci plenam atque affectatam sanctimoniam cum perversis ipsorum moribus publice corripuisset, miserique populo in tenebris versanti manifestasset, *Matth. V, 20. seq. VI, 2. 5. 16. VIII, 15. seq. Jo. VII, 7.* Quo ipso eorum autoritas, qua alioqui apud imperitam plebem pollebant, imminuta fuerat; ita, ut illa contempta, Jesum vel pro magno sanctoque Propheta, vel pro ipso Messia agnoscerent, *Marc. VIII, 28. Job. VI, 14. VII, 40. 41.* Præsertim cum suam doctrinam etiam miracu-

raculis, quæ nulla humana virtute fieri possunt, jamjam confirmasset. His de causis illi irati, quibuscunque modis aut technis poterant, Christo insidias struxerunt. Quod etiam ex antecedenti *cap. XV. Matthæi* adparet. Nam quater mille viros, mulieribus & pueris haut connumeratis, in deserto, valde tenui adparatu cibaverat. Id luculentum miraculum cum negare nequirent, ussit eos admiratio apud populum Christo iterum parta.

§. 6.

Pharisæi ideo in societatem nequitia Sadducais adscitis, *tentandi* causa Christum adierunt, ac simulantes discendi animum, eum rogarunt; ut novo in sublimi edito miraculo, (*signo nempe e cælo dato,*) ipsos discendi & credendi cupidos certiores redderet, se nimirum e cælo missum esse verum Messiam. Christi enim miracula hætenus in terra patrata elevare intendebant, ac si magicis aut dæmonicis, ut blasphemabant, artibus facta essent, *Luc. XI, 15.* Hinc *ἐκ τῆς ἐραυῆς ἐπίδειξις demonstratio-* nem signi petebant. Quale forte Josua, Solem sistere jubens *Jos. X, 12.* aut Samuel, tonitrua precibus suis eliciens, *1. Sam. XII, 16. 17.* aut Elias ignem de cælo deducens, *2. Reg. I,* patravrant. confer *Lightfoot. Hor. Hebr. & Talm. ad Marc. VIII, 12.* itaque ut suam incredulitatem specioso prætextu velarent, e cælo vel de cælo signum petebant. Miracula jam satis multa & clara ante ipsorum oculos ediderat Christus. Verum hic novum e cælo, quod omnibus adpareret, studiose quærunt; quandoquidem Christus de cælo se venisse dixerat. Itaque quærere volunt: quod ergo tu facis signum, ut id credamus & Te pro Messia habeamus, *Job. VI, 30?* Moses olim ex tonitruis, igne, fumo, vocibus & buccina cœlesti in monte Sina vocationem suam certam fecit Israëlitis. Fac ergo, ut e cælo

lo



lo testetur DEus, te ejus esse filium, & miraculo vocationem tuam confirmet. *Ἐπίδειξαι* enim hic pro facere & factum exhibere atque demonstrare positum est. Quo sensu *Job. V, 20.* etiam accipitur: *ἐκ τῆς ἑραυῆς* enim ea dicuntur esse, quæ magna, divina & inusitata sunt, ut *Job. VI, 31. 32. 33.* confer *Chrysostr. Homil. LIV. in Matth. c. XVI. f. 477.* edit. Commelin.

§. 7.

Ceterum mirari hic minus licet, cur diversarum complices sectarum in societatem nequitiae adversus Christum coiverint; cum doctrina ejus cœlestis improba utriusque sectæ placita everteret, moresque pessimos damnaret, *Matth. V, 20.* Quapropter illi, ut Cretenses olim adversus Christum, ceu communem hostem, hac in parte, Syncretismum inierunt, eumque conjunctim *συζητήτες καὶ πειράζοντες Marc. VIII, 11.* oppugnare atque opprimere conmissi sunt. Et quanquam alias Pharisei & Scribæ iis juncti *Matth. XII, 38.* acriores adhuc Sadducæis Christi adversarii essent; tamen hic etiam in scelere societatem Sadducæos, ipsis quoad doctrinam multo pejores adsciverunt. Forte, quia horum Epicureismum Christus itidem confutavit, *Matth. XXII, 23. seq.*

§. 8.

Magis hic mirandum esset, quod illi divinæ veritati tot miraculis jam comprobatae cedere nollent; nisi de occæcatione & induratione eorum Christus ipse *Matth. XII, 24. 31. C. XV, 14.* testatus esset. Minus itaque mirum est, quod veritati manifestæ pervicaciter obloqui non destiterint. Accidit enim illis, quod *Esaias c. VI, 9.* prædixit, ac Christus *Matth. XIII, 12. 13. 14. 15.* jam impletum, asserit; ut videntes non viderent ac crederent. Eo enim vesaniæ homines contumaces progredi posse, ut occæcati,

ti,

ti, in meridiana luce verbi divini virtutem atque veritatem divinam nec videant nec agnoscant, *Job. XII, 39. 40.*

§. 9.

Dum autem *signa* cœlestia temere & captiose poscunt, Christus illos stolidæ malitiæ ac turpissimæ cœcitatatis v. 2 & 3 convincit; exprobrando illis, quod quidem ex signis physicis in cœlo aut aëre conspectis serenitatem aut tempestatem aëris præfagire possent; at quæ ab ipso divina virtute in terris aut mari jam patrata fuissent, dijudicare nescirent; adeoque eorum significationem attendere nollent. *Chrysostronus* ideo loc. supra cit. hic Phariseorum τὴν πεπωρωμένην καρδίαν *excæcatam & induratam* mentem observare jubet.

§. 10.

Responsio Christi *objurgatoria* observatu proinde dignissima est, quæ vers. 2 & 3 ita habet: quod ἑσπέρια γενομένης, *vespere facta*, dicere solerent; ἑσπέρια, (scil. ἔσαι) πυρρᾶζει γὰρ ὁ ἔρανος. *Serenitas erit, rubet enim cælum: Et mane; hodie χειμῶν, erit tempestas. Πυρρᾶζει γὰρ συγνάζων ὁ ἔρανος. Rubet enim triste cælum.*

§. 11.

In quo loco, quod vocabula attinet, illa satis per se clara sunt. ἑσπέρια enim cœli sive aëris bonam constitutionem seu faciem notat; ut est serenitas. Hinc apud *Theophrastum*, περὶ ἑσπέριας, idem est ac ἑσπέριας, quo significato *Plinius serenitatem* accipit. *Lucianus ἑσπέριας* pro γαλήνη usurpat. οὐρανὸς apud *Aristotelem*, de *Mundo* (nam vulgo iste liber illi tribuitur) est τὸ κόσμος τὸ ἀνώτατον, οὐρανὸς οὐρανῶν; sed hic aërem significat, in quo nubes sunt, ut *Matth. VI, 26. Πυρρᾶζειν, rutilare* aut rubere est. χειμῶν, *hyems* vel hybernus frigus, vel tempestas, vel procella maris est: apud *Aristotelem*, τῷ ἑσπέριας opponitur, ut h. l. συγνάζειν tristari notat: nam συγνός, *tristis, invisus* vel

B

molestus

molestus est; quod de aëre pluvioso dicitur. Quia illè molestus est viatoribus præfertim. confer *Camerarii & Erasmi Schmidii Not. in h. l.*

§. 12.

Sensus inde verborum Christi est, quibus Phariseorum inprimis attentionem circa præfagia tempestatis aëris, & negligentiam circa signa & miracula a se jam edita notat: quod ex signis naturalibus, aëris habitum præfagire scirent: *signa* vero Christi divina non negligenter tantum, sed maligne interpretarentur, imo blasphemarent etiã *Matth. XII, 24*. Et enim ex physicis notum est: istam *cœli faciem*, quam Christus nominat, aëris futurum habitum indicare: cujus generis prognostica *Aratus* etiã in *Phænomenis* suis plura annotavit. Quod autem causam præfagii hujus loci attinet, eam *Valesius* in *S. Philos. c. 86*. reddit; quod nobes densæ, tactæ Sole obliquo, qualis est, qui jam occidit, nigritiem præ se ferant: quæ vero rubicundæ sunt, non sint adeo opacæ & densæ, sed penetrantur lumine. Quapropter in diem posterum, nullam indicent tempestatis adparatum, sed serenitatem. Cum vero Sole oriente, triste hinc inde, & nebulosum se exhibeat cœlum, plerumque soleant ad primum orientis Solis occursum dispergi nubes; quæ tamen si densæ sunt, quales, cum triste cœlum, non dissipantur; sed excepti per eas radii Solis videantur rutilare: Postremo vero, vesperi, cum Sol, cum quo toto die sint velut colluctatæ, languescit, concurrant, densentur, fiantque imbres.

§. 13.

Clarius *B. Gerhardus* in h. l. *Rubedo*, inquit, *matutina* plerumque ventos aus pluvias notat; qui Sol attrahit nubem aquosam & rubram ad nos, quæ si rorulenta est, pluvia decidunt: Sin minus rorida, melius tamen percocta, ventorum suppeditat materiam. *Rubedo vespertina* sereni-

renitatis index est: quia Sol aquosam nubem in alium horizon-
 tem detrahit, & frigiditate noctis aquea illa nubes
 interim condensatur, ne in pluviam resolvi possit. Ma-
 ne & vesperi conspicitur lumen per vapores circa hori-
 zontem collectos: Unde lumen purpurascit — — — cur
 autem nubes purpurea serenitatem vesperi significant, ma-
 ne vero pluvias? causa est, quod vespertina rubedo ma-
 gis est in nube siccata diurno aestu Solis, in quam radius in-
 cidens non penetrat, sed repercussus duplicatur: — — —
 Mane vero rubet nubes, quia est aquosa, quæ calore Solis ele-
 vatur ac facile in pluviam dissolvitur. Quæ observatio et-
 iam *Alberti M. in III. Μετεωρολ. Arist.* fuit. Sed doctissimus
Ger. Job. Vossius de Orig. & Progr. Idol. l. III. c. 14. mavult as-
 sentire *Bonaventurae Urbinati comment. in Theophrastum de*
signis ventorum & pluviarum, dicenti: Non hoc simpliciter
 dicere Christum; cum cælum vesperi rubet, fore serenita-
 tem, sed fore ventum serenum; id enim valere *εὐδία*, es-
 seque eam ab Austrino vento: Unde *Aristoteles l. i. Meteor.*
c. II. μὲν γὰρ νότος εὐδία ποιεῖ. Qui significat flatum
 Austri cum serenitate esse conjunctum: nempe ob ortus pro-
 pinquitatem. Quod imprimis verissimum est de Palæstina
 tota, cui Africa continens est ab occasu brumali: Unde
 Auster fiat Palæstinis. Sic ergo colligimus, non de quavis
εὐδία loqui Christum, sed ea, quam Auster præstaret. *Min-*
orem habet difficultatem, (pergit Vossius) quod *Christus a-*
it, cælum, si mane rubeat, tempestatem indicare. Rubor e-
nim est ex fumida exhalatione: Nigror ex vaporibus in nubem
concretis. Eo concursus ille ruboris & nigroris, qualis in nu-
be est punicea, præsignat χειμῶνα sive tempestatem; h. e. ventos
pariter atque imbres. Sed hæc nos natura scrutatoribus re-
 linquimus ulterius contemplanda; cum hic nobis satis sit,
 notasse, Christum insidiatores suos, supina negligentia &

cœcitatibus circa signa temporum istorum observatu magis necessaria convicisse; quod nempe physica signa curiose attendent, divina vero à Christo ostensa contemnerent, novaque cœlestia insidiosè postularent.

S. 14.

Qua de causa dignissimo eos nomine, ὑπερηφανοί, ut *Luc. XIII, 15. Matth. XXIII, 25. 28.* compellat. Quam vocem *Vulgatus* & *Evang.* Hebraicum Matthæi non legerunt; habent autem veteres codices, Syrus & Arabs. Causa autem cur eosdem ita vocat, manifesta est. Nam simulant se cupidos discendæ veritatis esse, quam tamen oculis & animis sese ingentem repellebant. Quod si vero ex animo cupidi fuissent discendi quæ salutem suam attinerent, ex signis jam exhibitis multo hanc rectius cognoscere potuissent, quam quod ex signis parum certis cœli vel aëris, (quæ minimi erant momenti) curiose observabant & studiose tempestatem conjiciebant. Supinam igitur eorum negligentiam animique perversitatem, ex præposteris eorum studiis manifestam Christus fecit. Videlicet, quod temere negligenter & contemnerent, quæ maximi momenti querere deberent certoque invenire possent: Contra insidiosè quererent, quæ invenisse nihil opus esset, nec multum referret, nec certo cognoscere daretur. Faciem enim cœli (πρόσωπον τῆ ἑρανῆ) h. e. stylo Ebræo, *externam speciem, aëris habitum & ejus dispositionem, die äußerliche Gestalt des Himmels*, ut *Luc. XII, 56.* confer *Er. Schmidii Not. in h. l.* item *Lightfooti Hor. Hebr. & Talmud. in cap. XVI. Matth.)* ac *Φαινόμενα* nosse & discernere, ac inde serenitatem vel tempestates aëris prædicere, nihil ad salutem hominis confert. Et si forte in re œconomica disponenda usum aliquem habere possit. Ita videmus homines in rebus minimis & naturalibus scrutandis majorem sapiens operam

ram & curam collocare, quam in iis, quæ æternam salutem animæ spectant. Quod inanis curiositatis vitium multis hodie quoque eruditis familiare est, qui curiosa scire, utilis animæ salutis studiis præferunt.

§. 15.

Christus autem, ut *Marcus c. VIII, 12.* habet ἀνασενάξας *alte ingemiscens*, ipsis Pharisæis & Sadducæis mentis cæcitatem & credulitatem merito exprobrat, horumque malitiam graviter animo commotus redarguit. Nimirum quod τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν, quæ erant *opportuna*, (καιρὸς enim tempus *opportunum* notat; nam Deus καιρὸν δεξιῶν suum habet, *2. Cor. VI, 2.*) *signa illorum temporum* observare atque dijūdicare & nollent, nec ob malitiam mentis affectatam amplius possent.

§. 16.

Quænam vero *illius temporis signa* fuerint, ex historia a CHRISTO gestorum facile disci potest. Ista nempe fuerunt *partim* doctrina ejus divina dissimilis plane, Pharisaicæ ac Scribarum *Matth. VII, 29.* *partim* miracula a Christo, digito divino seu virtute divina, *Luc. XI, 20.* collato *Exod. VIII, 19.* patrata. Quæ cum ὑπὲρ φύσιν *ac supra naturam vires* fierent, certissimo indicio erant, Jesum Nazarenum non esse nudum hominem aut communem Prophetam. Quod Nicodemus ipse veritate evidentissima convictus, attestabatur *Job. III, 2.* Nam *caecis Matth. XV, 30. 31. XXI, 14. Marc. VIII, 22. seq. Luc. IV, 17. c. VII, 21. Job. IX, 6. 7. Job. X, 21. Job. XI, 37.* visum restituit, *surdorum aures aperuit Matth. XI, 4. 5. Marc. VII, 32. & seq. c. IX, 24.* *Mutorum linguam solvit, Matth. IX, 32. 33. c. XII, 22. c. XV, 30. 31. Marc. VII, 32. seq. c. IX, 24. 25.* *Claudos sanavit, Matth. XV, 30. 31. XXI, 14.* *Debiles subito & in continenti vel uno verbo sanavit, Matth. IV, 24. c. IIX, 5. seq.*

c. IX, 2. seq. *Job. V, 5. seq. Mortuos revocavit in vitam. Matth. IX, 18. seq. Matth. XI, 4. 5. Luc. VII, 12. seq. Job. XI, 43. 44. Esurientes cibo reficit miraculose Matth. XIV, 15. seq. c. XV, 32. seq. Luc. I, 53. Job. VI, 11. seq. Super mare incedit Matth. XIV, 25. 26. Tempestatem in mari sedat Matth. VIII, 26. 27. immo Pharisæis non ignota esse poterant signa in nativitate ejus edita; ut stella nova Magis in oriente visa, qua ad ipsum adorandum excitati fuerant, Matth. II. Hæc & alia signa illorum temporum gentem Judæam, & in illa Scribas & Pharisæos, nisi occæcati fuissent, commovere debuissent; ut agnoscerent, tempora hæc esse *gratiosæ visitationis ex alto*, qua vaticinia de promisso Messia, a Mose & Prophetis edita, jam adimpleta esse constabat. Cui enim competunt signa & *σημεία* omnia veri Messia, illum oportet esse verum Messiam, *Johan. V, 36.* Christus etiam ideo *Johan. X, 25. 37. 38.* Judæos propter isthæc signa & miracula a se patrata credere jubet; quod ipse sit verus Messias.*

§. 17.

Accedebat, quod omnes alii characteres Messia, a Mose & Prophetis designati, JESU Nazareno competerent: *stirpem*, puta, Davidicam, *Matrem* virginem, *locum* nativitatis *Bethlehemum*, *tempus* designatum, quo *sceptrum* de Juda ablatum fuerat, stante adhuc *templo secundo* & *hebdomatibus* septuaginta Danielis jam impletis. Hæc, inquam, *signa*, licet manifesta atque infallibilia essent; occæcati tamen & indurati Scribæ, Pharisæi ac Sadducæi discernere, atque dijudicare non poterant. Quanquam Nicodemus ceteris magis cordatus Pharisæis, fateretur, *σημεία* & signa Christi esse divina *Job. III, 2.* Alii tamen occæcati, illa demoniaca esse blasphemabant.

§. 18.

§. 18.

Ἀδυναμία seu impossibilitatis hujus causa, non fuit defectus gratiæ omnibus communis, sed eorum *σκληροκαρδία* seu *cordium durities*. Quam partim falsis de Messia Judæorum præjudiciis occupati, partim propria mentis contumacia, malitia, ac odio erga Jesum ipsos meliora docentem attraxerant. Justo quippe Dei judicio deserti, in majores adhuc tenebras inciderunt; ut spirituales suam cæcitatem agnoscere nolent. *Excæcatio* enim, dicente *Chemmitio*, in *Harm. Evangel.* p. 1094 est *voluntaria incredulitatis & contumacis improbitatis pœna*, quod in *Formul. Concord. artic. XI.* p. 820. etiam asseritur & declaratur. Quare CHRISTUS eis dixit *Job. IX, 41.* *Si ceci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero cum dicitis, videmus: peccatum vestrum manet.* Itaque miserabilis occæcationis & indurationis illi exemplum præbuerunt *Matth. XIII, 12. 13. seq. Marc. IV, 12. Job. XII, 40.* Hanc etiam ob causam a Christo *Matth. XXIII, 13. 14. seq. Luc. XI, 31. 32.* illis *ve* temporale & æternum denunciatur; quod ob perseverantem incredulitatem a DEO prævisam jam essent judicati *Job. III, 18.* licet judicii aut pœnæ exsecutio foret dilata.

§. 19.

Christus inde Zelo incensus, *v. 4.* eosdem *γενεὰν πο-νηρὰν καὶ μοιχαλίδα*, nationem seu gentem improbam ac adulterinam vocat, quos ante jam, eadem de causa, cum Johanne Baptista *Matth. III, 7. c. XII, 34.* *γενήματα τῶν ἐχιδνῶν progeniem viperarum* dixerat, ut *Matth. XXIII, 33.* Nempe *κακῆς κόραν* ☉, *κακόν ὄν.* Progenitores illorum mali fuerant *Matth. XXIII, 31. 32.* ipsi pejores avis malitiam cumlaverant suam; ut mensuram patrum suorum implerent, *Matth. XXIII, 32.* Gloriabantur quidem se ex stirpe Abrahami prognatos, genuinamque ejus se esse sobolem *Matth. III, 9. & Job. VIII, 33. 39. 53.* Verum neque Johannes, neque
Chri.

Christus pro tali eos agnoscere vult: quia ab Abrahami fide defecerant. Ideo γενναί μοιχαλῖς hic audiunt, quasi spurii, qui falso jactarent, Abrahamum patrem suum esse, *Job. VIII, 39.* confer *Marc. VIII, 38.* Quanquam alii, ita appellatos fuisse proprie propter polygamiam, quæ adulterium est, existiment. Quæ sententia etiam *Lightfoot* in *Hor. Hebr. Talmud. ad Matth. XII, 39.* probatur, ubi phrasin Christi ex Talmudicis explicare sustinet. Clarius ista exponit *Chemnitius Harm. Evangel. c. LIX. fol. 1048.*

§. 20.

Cogitare tamen quis posset; cur Christus in ipsorum gratiam noluerit novum è cœlo vel in sublimi edere signum aut miraculum, quod supra jam *Matth. XII, 39.* & hic iterata vice, studiose (ἐπιζητεῖν enim plus est, quam ζητεῖν) quærebant; sic enim forte ad fidem pertrahi potuisse. E-nimvero Christus qui eorum insuperabilem mentis pervicaciam præviderat, margaritas porcis objicere noluit, *Matth. VII, 6.* Deus enim (ut *B. Hülsemannus* noster *Brev. c. XV, §. 2.* loquitur) non absolute, citra respectum ad futuram hominis rebellionem vel paritionem, decrevit effundere gratiam suam; sed ordine majora vel nulla incrementa daturum, prout prima gratia vel admissa vel repudiata fuisset, *Matth. XIII, 12.* Hinc & discipulos suos *Matth. X, 14.* instruit, ne invitis bona & dona gratiæ suæ obtruderent: quod *Paulus Act. XIX, 8.* observavit. *B. Hutterus* noster id divini beneficii loco ducit, si Deus gratiam oblatam ante, sed temere rejectam cumulare desistat: ita enim in *L.L. Commun. de Reprobationis Decreto fol. 799.* verba ejus habent: *Hi ergo reprobi, quia de factō nunquam erant convertendi; frustra etiam futurum esset, si gratia, quam non erant acceptaturi, illis offerretur. Imo hoc casu, non ultionis tantum justissima; sed suo modo MISERICORDIÆ potius*

in

in Deo opus est, non offerre, quam offerre gratiam. Nam oblatam gratiam contumaciter respuendo, gravius peccaretur. Et hoc est illud, quod Es. XXVI, 10. dicitur: *Misereamur impio, & non discet justitiam facere, vel gratia offerretur impio: nec tamen discet justitiam.* Quem locum optime explicat Bernhardus Tom. I. Serm. de pessimo vitio ingratiudinis: *Sicut est major misericordia, non dare gladium insano, quam dare, quo feriat seipsum.* Potest autem hujus rei assignari etiam talis ratio: *Quia soli Christo secundum assumptam humanitatem data est gratia sine mensura Job. III, 34. ceteris omnibus data est cum certa mensura & secundum distinctos gradus Rom. XII, 3. Eph. IV, 7.* Sicut ergo electis certa mensura bonorum ex liberalitate Dei data est: ita modus peccatorum presinitus est reprobis, Gen. XV, 16. *Nondum sunt complete iniquitates Amorrhæorum Matth. XXIII, 32. implete mensuram patrum vestrorum, 1. Thess. II, 16. ut impleat peccata sua semper &c. confer B. Chemnitii Harm. Evang. c. LXI. f. 1091. seqq. & B. Hülfsmanni Commentar. in c. VI. Jeremie p. 128. & c. VII. aphor. VI. p. 146. it. B. Sebast. Schmidii Comment. c. VII. Jerem. p. 301. & in Ebr. c. VI. p. 598. 609. quod contra novos Huberianos notandum venit, qui omnibus peccatoribus penitus occæcatis & induratis gratiam Dei conversivam & salvificam, usque ad ultimum vitæ halitum paratam, contra ordinem œconomiae salutis a Deo constitutum, promittunt; ac ideo terminum gratiæ divinæ ante mortem pertinaciter negant, ignorantes quippe adplicationem distinctionis voluntatis Dei antecedentis & consequentis judiciariæ, in S. literis fundatam, Prov. I, 24. seqq. 26. usque ad finem.*

§. 21.

Christus tamen hic, ut *Matth. X, 39. 40. σημεῖον signum,* illis singulare aliquod proxime datum iri; sed non quale isti *περὰ τῶν σελῶν de cælo,* (ut *Marcus VIII, 11. & Luc. XI, 16.* declarant,) videre volebant: verum aliud singulare; nempe *Jonæ Prophete.* Quod supra c. X. v. 40. clarius pradiixerat. *Sicut enim Jonas, ait, in ventre ceti tres dies & tres noctes; ita erit filius hominis in corde terre, tres dies & tres noctes.* Quasi diceret: nullum signum aut miraculum in vestrum ceu hominum penitus excæcatorum gratiam, me in hoc statu

statu exinanitionis vivente, ex cœlo amplius dabitur; sed
 ex terræ visceribus, vobis tale adparebit, quando ex sepul-
 chro propria virtute, *ἀΐψαυαζάρευ Job. II, 19.* resurrexero
 tertia die, totique mundo manifestavero meam omnipo-
 tentiam juxta ac majestatem Messianam. Cujus typus o-
 lim Jonas Propheta *c. II.* fuit. Qui licet non verbis, ut ceteri
 Prophetæ, vita tamen & fato suo de me *ὡς ἐν λόγῳ* propheta-
 vit. Nam ille fato suo ejusque eventu admirabili præfigu-
 ravit & sepulturam & resurrectionem Christi gloriosam.
 Ac etsi illi signum tale minime desiderarent; quia tamen
 credere noluerunt Christo, id damno, immo damnationi
 eorum cessurum esse *Matth. XI, 20. 21. 23.* significatur. Præ-
 fertim cum (ut infra *v. 27.* prædicit) *futurum sit, ut Filius ho-*
minis, quem præfracte rejecerint, venturus sit cum gloria Patris
sui cum Angelis suis, & tunc redditurus unicuique secundum fá-
cta ipsius. Quo signo de cœlo tandem omnibus incredulis
 manifestatum iri, se esse Messiam mundi, quem Judæi repu-
 diarint, simul indicat. confer *Matth. XXVI, 64.*

§. 22.

Hac de causa *Matth. XII, 41.* addit; Ninivitas resur-
 recturos in judicio extremo cum gente ista Pharisaica cœcu-
 tiente & contumaci, atque condemnatos hanc testimo-
 nio suo; quod ipsis ad conversionem suam, Jonæ concio
 pœnitentiæ, sine novo miraculo, quale Pharisei hic cum
 Sadducæis postularint, suffecisset: Hos vero ita præfracte
 contumaces fuisse, ut licet concionem pœnitentiæ Johan-
 nis Baptistæ audiverint *Matth. III.* & Christi ipsius doctri-
 nam salutiferam tot miraculis signisque confirmatam au-
 scultarint & viderint; fidem tamen, quod ipse verus Mes-
 sias mundique Salvator sit, habere noluerint. Quapropter
 hoc signo dato ipsos aliquando, sed serius experturos esse;
 quid sit consilium & gratiam Dei tam pervicaciter contempsisse
Luc. VII, 30. ac si diceret: Simile quiddam, quod Ninivita-
 rum

rum temporibus accidit, ut Jonas orta tempestate, a nautis abjectus in mare, servatus fuerit in ventre ceti per triduum, quem postea piscis in aridam evomuerit vivum; Sic Filius hominis a vobis in mortem traditus atque rejectus, resurget cum gloria, & convertet gentes per prædicationem Evangelii, ut Ninivita conversi fuerunt per prædicationem Jonæ. Ideo Ninivita adversus incredulitatem & contumaciam vestram in ultimo judicio insurgent, ac vos improbitatis desperatæ condemnabunt, *Luc. XI, 32.* Atque hoc signum vobis sufficiat. *Cl. Lightfootus in. Hor. Hebr. Talmud. ad Matth. XII, 39.* non male observat: *Hic alibique, dum signum Jonæ præbet iis, non nude de miraculo ei præstito loquitur, in filio hominis equiparando; sed tacito etiam stimulo eos pungit; hoc edocens, convertendas ab eo gentes, post suum e visceribus terra reductum, prout conversa erat Nineveh ethnica, post restitutum Jonam e ventre ceti. Quo vix quicquam istos acrius momordit.*

§. 23.

Christus quidem post hanc objurgationem Phariseorum & Sadducaeorum alia signa seu miracula edidit, *Matth. XVII, 18. c. XX, 34. XXI, 19. Job. XVIII, 6.* at hoc in loco non generatim locutus est, aut simpliciter negavit; ac si nulla amplius miracula in cælo & in terra patraturus sit; sed de tali signo, quale tum isti maligni tentatores ab ipso in statu adhuc exinanitionis constituto petebant *de cælo* lequitur; quod singulare & inauditum esset, exceptionem non admittens. Hinc particula, *ei μή, nisi, per sed,* ut *Job. XVII, 12. Gal. I, 7. Apocal. XXI, 27.* vel ut *εάν μή, Rom. XIV, 14. Gal. II, 16.* commode exponi potest. Hic tamen, in illorum, utpote *ἀθεράπευτων* seu *incurabilium*, (ut *Theophylactus* in h. l. fol. 92 vocat) miraculum edere noluit; sed relictis illis abiit. Quo docemur, insidiosos & præfractæ

contumaces homines, vitandos suæque infantiæ relinquentes esse, *Actor. XIX, 9.*

§. 24.

Expositis ita jam verbis Christi, quæ *Matthæus* de *Signis temporum istorum observandis* consignaverat, operæ pretium fuerit, ut *parismata*, quæ vocantur, jam inde elicimus ad usum doctrinæ in vita Christiana necessarium. *PRIMUM* est, quod non liceat a DEO *σημεία* vel *miracula postulare*: quia hoc nihil aliud foret, quam DEUM infinitam potentiam juxta ac sapientiam suam liberrime exercentem tentare; adeoque poscere, ut ipse sese curiositati hominum attemperet, licet id non promiserit. Quod sane reverentiæ DEO debitæ fideique veræ indoli & obsequio repugnat. Et, si maxime quis putet, hacratione hominem fiduciam suam in ejus potentia collocatam se DEO adprobare posse; quod nimirum credat, DEUM semper esse Numen omnipotens, atque erga homines confidentes benignum; ita, ut *signa* in gratiam credentis edat, quando ille cunque exposcat. Enimvero temeritas est, non veræ fiduciæ signum, petere signa sine claro DEI verbo, aut extraordinario ejus instinctu seu absque dono fidei miraculosæ, quod paucioribus dare solet. Talem enim instinctum divinum olim fuisse in *Gedeone Jud. VI, 36. 37.* & *Hiskia Jes. XXXVIII, 5. seq.* a DEO signum petentibus, *B. Dannbauerus Theol. Consc. part. II. Dialog. 3. q. 3.* pie credit. Achajus vero Rex *Jes. VII, 11. 12. seq.* reprehenditur, quod signum juxta verbum DEI poscere ex diffidentia erga ipsum abnuerit; etiamsi DEUS eidem tale obtulerat. Contra manifesta & impia temeritas atque incredulitas fuit Pharaonis *Exod. VII, 9.* Diaboli *Matth. IV, 3.* & hic Pharisæorum, Scribarum & Sadducæorum *Matth. XII, 38. 39.* & *c. XVI, 1. 1. Cor. I, 22.* nova eaque inau-

inaudita signa a CHRISTO e cœlo exposcentium, ut supra-
jam abunde probavimus.

§. 25.

In historia quidem ecclesiastica exempla occurrunt eorum, qui signa per preces a DEO obtinuerunt; ut, quod legio Christianorum *Fulminatrix* sub M. Aurelio Antonino imper. anno CHRISTI CLXXIV. exercitui Romano fiti laborandi gravissima, precibus suis pluviam impetravit; barbari vero hostes fulminibus immisissis prostrari fuerint, v. *Justini M. Apolog. II.* sub finem. *Tertuli. Apolog. c. 5.* *Euseb. l. V. c. 5. H. E.* Non adeo dissimile exemplum recens de Buxtehudenfi pastore quodam pio, comminatione tonitru & fulguris signo confirmante, *Waldschmidius in Pythonissa Endorea* p. 381. & venerabilis Abbas, *Andr. Carolus, Memorabil. Ecclesiast. l. II. c. 28.* commemorant. At illa, post doctrinam Christi per multa olim miracula confirmata *Marc. XVI, 17. Actor. V, 12.* rariora & ex instinctu DEI extraordinario facta esse arbitramur. Ideo talia tantum observanda, nec temere absque tali instinctu probato expectanda sunt. Fides enim miraculosa, peculiare DEI charisma est, quod paucioribus DEUS impertitur. confer *Harm. Evangel. Chemnit. cap. LIX. f. 1049.*

§. 26.

Alterum PORISMA ex textu nostro supra exposito est, quod signa physica seu naturalia in cœlo & aère conspicua & observare, & inde effectus aut eventus naturales præfagire liceat. Nam CHRISTUS *Matth. XVI, 23* Pharisæos non ideo reprehendit, quod ex signis cœli aut aëris futuram tempestatem augurari solerent; sed quod in minoris momenti rebus, quales sunt tempestates aëris, curiosi essent; in rebus autem maximi momenti, quæ ad fidem & curam animæ pertinerent, negligentes forent, spon-

C 1

tc

te nimirum cæcutientes. Physicam enim *μαθησιν*, si ab-
 sit superstitio, DEUS nusquam improbavit. confer *B. Ar-
 dii libr. IV. de vero Christianism. c. 4.* Opus vero est, in
 illis naturæ signis judicandis, cautelis; ne quæ ex naturali-
 bus causis rarius proveniunt aut eveniunt phænomena, pro
 miraculis statim venditentur. Quod sapius ab homini-
 bus imperitis rerum naturalium fieri solet: qui *τέρατα* &
 portenta miraculosa comminiscuntur, ubi talia non sunt.
 Inde superstitio plebis nascitur; ut signa naturalia magis
 extimescant, quam comminationes DEI in verbo suo ma-
 nifestatas.

§. 27.

Id tamen negare nolumus, Diabolum *τὸν μυσιοεχθί-
 790*, cum princeps aëris audiat, rerumque ac operationum
 naturalium & opticarum maxime peritus sit, per combi-
 nationem caussarum, DEO sic permittente, varia signa ea-
 que mirabilia in aëre interdum edere posse, *Joh. I, 16. seqq.*
 ut vel homines tententur, vel superstitiosæ hominum cre-
 dulitati illudatur, *Exod. VII, 22. c. IIX, 3. Deut. XIII, 1. 2.*
 confer *Peucer. de Divinat. Generib. p. 8. 25. 26. seqq. & Ca-
 merarii Hor. Subciv. cent. I. c. LXXIII.* Accidere illud ple-
 rumque solet, cum bella aut aliæ calamitates publicæ in-
 gruunt; ubi Diabolus, DEI Simius, per varias technas &
 artes machinatur signa edere; ut aut populo terrorem in-
 cutiat majorem, aut superstitionem credula plebis alat. A
 qua superstitione, qui astrologiæ judicariæ dediti sunt, ab-
 solvi nequeunt, *Jerem. X, 2.* Inde *Cyrillus Hierosolymitanus*
Cateches. IV. p. m. 63. monet: *neque astrologis, neque auguri-
 is, neque divinationibus ullis mentem adhibeas, neque fabulosis*
idolorum oraculis, confer *Dannhaueri Colleg. Decalog. p. 312.*
seqq. 341. Aquila Ponticus olim S. Codicis Ebræi inter-
 pres, ob pertinax & superstitiosam illius studium *καθ' ἐνά-*

ἐν ἡμέραν, τὸ θεῖμα τῆς αὐτῆς γενέσεως ἐνεπλήρου, Ec-
clesia ejectus fuit, & ideo indignabundus ad Judæos tran-
siit, ut Epiphanius tom. II. libr. de Mens. & Ponder. c. 15.
memorat.

§. 28.

Tertium PORISMA est, quod nova & inusitata signa,
aut miracula in Ecclesia non semper sint necessaria. Quia
Christus in nostro textu Judæis exposcentibus talia dene-
gavit, nec alias in verbo suo talia promisit semper. Quod
contra Bellarminum tom. II. P. IV. c. 14. notandum est. Nam
differentia inter Ecclesiam plantandam & plantatam hic
repetenda est. In illa, ut Metaphysici loqui amant, ratione
consequentia & expedientia necessaria fuerunt, ut doctrina
divina confirmaretur & contumacia hominum convertibili-
um perfringeretur, Marc. XVI, 17. seq. Quo sensu Pe-
trus Actor. II, 22 JESUM Nazarenum præstantibus signis &
prodigiis ἀποδείκνυένον, tanquam necessariis demonstra-
tionibus comprobatum celebrat. Quia ipse, ut propter
opera miraculosa sua sibi crederent Judæi, postulavit, Job.
XIV, 11. Ideo & miracula sua incredulos Judæos intueri jus-
sit: Si opera (miraculosa) non fecissem inter eos, que ne-
mo alius fecit, peccatum non haberent, Job. XV, 22. Et cer-
te, quod Christum attinet, illa ab ipso fieri, necessum
erat; ut pateret Judæis, vaticinia Prøphetarum de Messia
jam adimpleta esse. Atque hinc etiam δόναμιν, donum
miraculorum Apostolis, ut olim quibusdam Prophetis,
DEUS Concessit, 1. Cor. XII, 9. 10. Quanquam illi non
semper his charismatibus divinis usi sunt. Nam Paulus, qui
illis pollebat, ita, ut ad ægrotos deferrentur a corpore,
ejus sudaria vel semicinctia, & discederent ab eis morbi,
Aktor. XIII, 11. 12. tamen ipse Trophimum reliquit Mileti
ægrotantem, 2. Timoth. IV, 20. Postquam vero per prædica-
tionem

tionem verbi divini & infecuta miracula, Ecclesia *plantata* esset, *Marc. XVI, 17.* signa & miracula rarius fieri cœperunt; ac adeo iudicio divino sapientissimo manifestato, non semper necessaria sunt. Sunt enim illa res meri arbitrii divini. v. *B. Dannb. Aleth. Vindic. p. 38. 62.*

§. 29.

Nempe *fnis* miraculorum hic contemplandus venit, qui est vel *generalis*; ut manifestatio omnipotentiae divinae & gloriae, quae in signis extraordinariis maxime elucescit *Psal. LXXVIII, 4. Job. XIV, 12. 13.* vel *specialis* seu *particularis*, qui *partim* est excitatio animorum ad attentam operum divinatorum considerationem, ut *Exod. XIX, 16.* partim ad timorem religiosum *Aët. V, 11.* excitatio; *partim* contestatio gratiae suae singularis, cuius signa sunt veluti pignora, ut *Es. XXXVIII, 8.* *partim* confirmatio ministrorum de missione divina extraordinaria; ut Mosis *Exod. IV, 5. 30.* Pauli *Aët. IX, 3. 4. seq.* *partim* confirmatio doctrinae coelestis, *Marc. XVI, 20. Marc. II, 11. Matth. XI, 4. 5.* Hæc itaque signa, cum religioni Christianae in orbe diffeminandae inservirent, DEO sapientissimo edere placuit; eadem vero jam fundata atque satis confirmata, signa illa & miracula (sine nempe cessante particulari) cessarunt. Unde *Chrysostomus Homil. XIII. in Matth. c. IV. f. m. 113.* *Et si nunc evidentia signa non fiant, ea tamen, quae per illa demonstrata sunt, suscipimus: — — nam signa non credentibus, sed incredulis dantur.* Et in *Homil. IIX. in Coloss. III.* *Quare non etiam nunc sunt, inquis, qui mortuos suscitant, & sanitatem perficiunt?* Respondet *Chrysostomus: cum imbecillior esset humana natura, cum FIDES esset PLANTANDA, tum multi erant tales: nunc non vult DEUS nos pendere a signis.* Inter veritatibus Christianae religionis inde argumenta non tam miracula,

cula, quam admirandam ejus propagationem in orbe Gentium, in *Orat. de Babyla*, contra gentes, & libro: *quod Christus sit DEUS*, refert.

§. 30.

Hinc adparet, *gloriam miraculorum* non esse certum Ecclesie verae signum, ut quidem *Bellarminus tom. II. l. IV. c. 14.* contendit. Nam inusitata signa aut miracula Ecclesie semper dare, Christus nusquam promisit. Quapropter, ut Pharisei olim talia a Christo; ita Pontificii a nostra Ecclesia, quae vera est, frustra postulant: & quae illi in sua apostatica Ecclesia fieri jactitant, vel praestigiae, vel imposturae, vel commenta hominum nimis credulorum sunt. Agnovit id ex parte ante tria fere secula, *Johannes Gerson, tom. I. tr. contr. Sect. Flagellant.* *Mundus*, scribit, *senescens patitur phantasias falsorum miraculorum, sicut homo senex phantasiatur in somno.* Et sane qui *Baronii, Bzovii, Caesarii Heisterbacensis, Surii, Jacobi de Voragine Hist. Lombardicam*, & similis furfuris historias evolvit; *τερετολογίας* & miracula Sanctorum conficta legerit; plures, quam vel poetae de diis deabusque suis aniles fabulas sparserunt, similes inveniet. Ipse *Melchior Canus* Episcopus Canariensis in *Loc. Theolog. l. XI. c. 6.* *Nec ego*, scribit, *libri illius autorem excuso*, qui *SPECULUM EXEMPLORUM*, inscribitur: *nec historiam etiam ejus, quae LEGENDA AUREA*, nominatur: *In illo enim miraculorum monstra saepius, quam vera miracula legas. Hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi & prudentis.* Ante, hoc eodem capite, quod totum perlegi meretur, p. 535 scripserat: *Sed dum quidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, quae animus scribentis dicat; non veritas, tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipsi, & si possent, esse tamen noluisse.* *Ecquis enim credat, D. Franciscum pediculos se-*

D

mel

mel exustos, in se ipsum solitum esse immittere? quod ad sanctitatem viri, scriptor pertinere putavit; equidem non puto, qui paupertatem sciam, viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquam. Illud iterum quam ridiculum? Diabolum Dominico patri nostro semel obstrepentem, a Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta, non molestiam solum, sed incredibilem dolorem etiam afferret, &c.

S. 31.

Et hæc forte causa fuit, cur Patres Concilii Tridentini, cui Melchior Canus ipse interfuit, Sess. XXV. de invocat. veneratione & reliquiis sanctorum & sacris imaginibus, sanciverint: Nulla admittenda esse nova miracula, nisi recognoscante & adprobante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Idem etiam Urbanus VIII. Pontifex R. Decreto d. 12 Mart. a. 1625 publicato sancivit. Nam Lyranus jam in cap. XII. Daniel. falsus est; maximam deceptionem populi fieri per miracula ficta a sacerdotibus. Inde quæ in superstitionosa Hispania & Italia de Sanctis eorumque reliquiis jactantur miracula, a Gallis deridentur aut pro fabulis habentur. confer Maximiliani Missoni litteras itineris sui per Italiam, Gallice & Germanice editas. Tandem cognitum est omnibus, scribit Petr. Ribadeneira de vit. Ignatii, l. V. c. 10. fraude Diaboli atque artificio egregie illum hominibus imposuisse, & flagitia captiosis artibus, demonisque prestigiis tenuisse.

S. 32.

Quis etiam vera & ficta miracula semper discreverit? cum Christus ipse prædixerit, Pseudo-christos signa magna & prodigia duros esse; ita, ut in errorem inducantur (si fieri possit) etiam electi. Ecce, inquit Dominus, prædixi

20-

vobis, *Matth. XXIV, 24. 25.* De Anti-Christo id etiam Paulus 2 *Thess. II, 9.* prædixit; illum signa & prodigia, mendacia editurum. confer *Deuteron. XIII, 1. 2.* *Apocal. XIII, 13. c. XVI, 14.*

S. 33.

Falsum quoque est, quod *Bellarminus loc. supra cit.* simpliciter & parum distincte pronunciat: quod miracula sint necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam. Johannes enim Baptista extraordinaria missione gaudebat, fidemque apud Judæos inveniebat; licet nulla miracula patrasset, *Job. X, 41.* Cur ego Cardinalis a *B. Luthero* miracula poposcit? ille enim nec novam fidem tradidit, nec extraordinariam missionem vel vocationem jactavit. Quæ autem iste porro ex *Staphylo* & *Jo. Cochleæ* juratissimis Lutheri & veritatis evangelicæ hostibus allegat; ac si *Lutherus* miracula patrare tentasset; fabulæ immo putidissima mendacia sunt: cujus generis in *Actis Luther. a Cochleæ* confictis & conscriptis plurima narrantur. *Lutherus ipse tom. III. Lat. p. 303.* scribit: *Ego neque signis, neque revelationibus peculiaribus doctus sum, neque unquam Deum pro signis rogavi; imo contrarium potius rogavi; ne efferrem me, & ne a verbo vocali abstraherer per imposturam Satana. In verbo enim nullum periculum est, sed est efficax, & corda mutat, quæ non sunt perversa. Rottenses autem Spiritus perverfi sunt, qui omnia legunt non tanquam discipuli, sed tanquam magistri, ut suum errorem confirmet. Quare diligenter notandus hic Prophetæ locus est contra factiosos & fanaticos spiritus, qui prophetant ex suis capitibus. Ad legem dicit Prophetæ, Es. IIX, 20. &c.*

S. 34.

Nobis ad ultimum idque præcipuum *PORISMA præ-*
eticum progrediendum est; nempe *de Signis temporum re-*
D 2 *Et*

ete dijudicandis, quod Pharisaorum, Sadducaeorum & Judaeorum natio neglexit. Christus ideo hanc supinam negligentiam ex incredulitate & mentis pervicacia ortam iisdem exprobrat. Ex quo certe intelligere datur, hominis, maxime Christiani officium esse, τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν observare atque prudenter dijudicare; indeque petere, quæ cavendo nimia securitatis malo expediunt.

§. 35.

Hic opus sane est Christiana prudentia, ne vel parum, aut nimis hac in parte creduli vel curiosi simus. Ad quam præcipue certa judicandi cynosura atque norma requiritur, quæ solum Dei verbum revelatum est, *Es. IIX, 20.* Ex quo nempe constat, Deum omnia sapientissime tum in regno potentia & natura, tum in regno gratia regere nihilque frustra facere, aut fieri etiam permittere; sed omnia determinare ad certos fines. Inde colligimus, nec *signa*, quæ *supra nos* in æthere aut aëre præter aut supra naturæ ordinem fiunt, aut quæ *inter* atque *juxta nos*, in terris aut mari, præter vel contra consuetum naturæ ordinem contingunt insolita, frustra hæc, inquam, contingere. Quia gubernator hujus universi optimus maximus ac sapientissimus, Deus, omnibus rebus, etiam quæ nobis fortuita videntur, certos fines præfigit atque determinat. Id quod ex doctrina Christiana, de divina providentia, certo hic præsupponendum est.

§. 36.

Quæ, ut clarius pateant, prius τὰ σημεῖα seu *signa* paucis distingvere juvat. Quia vocabulum hoc πολύσημον est, atque varia denotat. Nam usurpatur *tum de notis & signis effectuum & operationum naturalium*; inde *signa naturalia*, quæ in physicis aut arte medica observantur & exponuntur; *tum de notis & signis astrorum eorumque positu*,
va-

varioque motu & operatione planetarum, quorum effecta aut consequentia Astronomi annotant; tum de phænomenis in aëre, de quibus in doctrina de meteoris Physici agere solent. Quorum causas cum reddere nōrint, non pro insolitis haberi possunt. Etsi eventus non eodem quandoque modo sese habeat. De his plura C. Peucerus libr. de *principiis Divinationum generibus* p. 8. 9. seqq. p. 35. 52. 283 differit.

§. 37.

Nobis hic fermo est de *Signis Temporum* ac adeo rarioribus, singularibus & insolitis; sive illa simul cum naturalibus, etiam *præternaturales* causas habeant, ac ad Physicam curiosam referri queant; sive causæ *morales* etiam subsint: ut sunt signa, quæ ante Reipublicæ conversionem & Ecclesiæ mutationem fieri solent. Hæc, inquam, signa cum præter aut supra consuetum naturæ ordinem fiant, aut in Republica & Ecclesia, inverso vel everso legum morumque receptorum ordine accidant; *prodigia*, *presagia* aut *θαυμάσια mirabilia*, aut etiam *παχυλῶς* loquendo, *miracula* appellari solent. Quia eorum causæ homines sæpe latent, ac a peritis rerum divinarum atque humanarum viris reddi nequeunt. Sæpius etenim fieri assolet, ut ab ignavis rerum ac superstitiosis hominibus, pro *signis præter- aut supra-naturalibus* atque prodigiis habeantur, quæ ex causis physicis proveniunt. Nam rudis & superstitiosa plebs, quando publicæ calamitates, bella in primis imminēt, *τέρατα* & portenta sæpius comminisci solent, quæ talia non sunt. Cujus generis exempla in annalibus temporum consignata occurrunt plurima.

§. 38.

Miracula autem proprie sic dicta sunt, *opera insolita, contra vel præter naturæ creatæ aut gratiæ ordinem, virtute*

divina specialiter operante producta. confer Thom. P. I. qu. 110. art. 4. ad 2. vel, ut Dannhauerus noster, qui de miraculis, tum in *Alethea vindice & victrice*, contra Lojolitam *Cornicum*, tum in *Theolog. Conscient. P. II. Dialog. II.* prolixè egit, prolixius paullo definivit: *Miraculum est, inquit, actus verus ac solidus, arduus, supernaturalis, rarus, temere hauri provocabilis, paradoxus, summe evidens, a Deo immediate, vel mediate profectus, ad effringendam hominum infidelitatem & fidei vera assertionem ordinatus.* Quam definitionem *miraculi* ipse fusius c. I. explicat atque declarat.

§. 39.

Nos dum non ex instituto de miraculis, quæ etiam signa appellantur, agimus; de officio Christiani non tam circa proprie sic dicta *miracula*, quam circa *mirabilia*, quæ communi vocabulo, *signa temporis* vel *temporum* appellantur, differemus. In qua tamen contemplatione, ut diximus, ad *mirabilia* vel *admiranda signa temporum*, quæ in *republica & Ecclesia* præter consuetum alias ordinem, singulari divina providentia moderante, accidere solent, respicimus. Nam etsi veri Christiani etiam sit, *miracula* in divinis literis consignata devote contemplari, divinamque sapientiam ac justitiam admirari: Immo cum Christus ipse *Matth. XXIV, 29. Marc. XIII, 24, 25, 26. Luc. XXI, 25.* miracula diem extremum proxime antecessura non tantum prædixerit, sed & observare illa & vigilare nos iusserit; Christiani utique officium fuerit, cum pœnitentia, fide ac spe, pectore bene præparato expectare adventum Domini ad iudicium. Sed nos hic præcipue *ominosa signa*, quæ conversionem rerum publicarum aut Ecclesiæ mutationem portendere solent, attendemus: ut mala capitibus nostris imminetia vel matura ac seria pœnitentia avertamus; aut, si mensura peccatorum nostrorum impleta est, caveamus; ne æternum pereamus.

mus. Nam Christus hujus generis quoque *signa* Christianis observatu necessaria esse, *Matth. XXIV, 4. seqq. Marc. XIII* expressè docet: cum *duplex* judicium, *unum* particulare, quo judaica respublica deleta fuit, *alterum* universale, quod totum mundum hauriet, ibidem discipulis suis annunciat: Utrumque autem certa *signa* antegressura esse prædixit. Ac cum prius illud judicium horrendum, quo respublica & status Judæorum eversus fuit, jam præterierit; nobis exemplo esse debet, in quod cum timore & tremore intueamur, ac *alterum*, quod instat, eodem modo expectemus. confer *Melanchthonis Part. III. Postill. Dom. X. post Trinit. p. 539. 552. seq.*

§. 40.

Quæ everfionem reipublicæ Judaicæ antecesserunt, & *Matth. cap. XXIV, 4. seqq. usque ad 28. Marc. XIII.* memorantur, eorum nonnulla statum Ecclesiæ atque religionis, nonnulla statum reipublicæ spectabant. Nam Christus *primo*, cap. jam cit. v. 4. 23. 24. 25. 26. inter *signa* judicii sui antecedentia, Seductores, Pseudo-Christos, & Pseudo-prophetas, qui veram fidei doctrinam corrupturi veræque Ecclesiæ statum turbaturi sint, ipse refert, *Marc. XIII, 21. 22.* Deinde autem *signa*, quæ status reipublicæ conversionem aut potius everfionem portendebant, memorat, v. 6. 7. ut sunt bella gentis in gentem, fames & pestilentia, & terræ motus pluribus in locis futuros: item magna populi induratio, securitas, qualis ante diluvium invaluerat, v. 38. 39. Hinc si nostro tempore non dissimilia *signa* passim observantur; Christiani officium est, illa attendere, vigilare & poenitentiam agere atque augurari; instare horrenda DEI judicia, quæ Christus, quæ viri Sancti olim in S. literis prænunciaverunt. Legi de eo Apocalypsis Johannea cum posteriore *Petri* Epistola c. II. & III attendente meretur.

§. 41.

§. 41.

Tempus itaque erit evigilandi e somno securitatis, & observandi *signa nostris temporis* evidētia. Etenim si temporum annales consulantur, intra aliquot secula, non tot signa rerum ominosa & visitationis DEI in ira instantis prænuncia, in orbe Europæo, qui Christianus dicitur, brevi adeo tempore evenisse legimus; quam quot nostra hac ætate passim observata sunt. Gens in gentem infurget, & regnum in regnum, rebelliones populorum in Principes hinc inde excitantur: nec diu est, quod dira pestilentia late grassata est, terræque motus insoliti atque frequentes nuper admodum in Italia acciderunt, & ante etiam Siciliam & magnam Germaniæ partem concusserunt: venti, procellæ novo modo non ita pridem furentes, discordem arguunt naturam. Oppressiones, luxus, commellationum libidinumque nova genera, nunquam non reipublicæ infelicitatem portenderunt, *Es. XXIX, 6. & c. III.*

§. 42.

Securi quidem & profani homines philosophantes tantum, horum signorum vel causas morales vel naturales solent allegare; fines autem istorum contemplari negligunt. Enimvero, ut non negarim, bellorum atque rebellionum causas subesse morales & civiles; item terræ motuum, quas Physici exponunt, causas esse naturales; ita & hoc a Christianis prudentibus negari nequit; DEUM rebus, quæ miracula proprie non sunt, significatum portendendi futura fata & judicia singularia indere posse, iisque ut præfagiis judiciorum suorum quoque uti. Id sane Christus ipsemet docet *Mattb. XXIV, 6. 7. & v. 15.* atque ejusmodi signa attente animadvertere etiam simul jubet. Certe viros fortes ac bellatores, judices, prophetas, senesque
mo-

mori, causæ reddi possunt naturales; nec civiles etiam desunt, cur principes pueri ac ludificatores dominantur; Esaias tamen vir divinus, *c. III, 2. 3. seq.* id DEI populo irati signum esse atque mutationem aut confusionem reipublicæ portendere scribit: Puta, cum non superstites sint alii viri talibus in republica muneribus gerendis satis idonei. Ideo quando aliqua ex quatuor imperii columnis concutitur aut labefactatur, (quæ sunt *Religio, Justitia, Consilium, Opes*) tum serenitas precibus imploranda est, scribit vir sapiens *Fr. Baconus de Verulamio, Sermon. Fidel. XV.*

§. 43.

Prudentia itaque, in *signis* diversis temporum animadvertendis & discernendis, opus est Christiano; ne vel superstitiose talia consingantur, aut omnia ludibria oculorum auriumque pro veris acceptentur, aut omnia temere, quod *Galba* imper. olim fecit, ceu fortuita contemnantur ap. *Tacit. H. I. 18.* Peccari enim hic in *excessu & defectu* solet. Prudentiæ igitur est Christianæ, medium hac in parte tenere. Quia multa sæpe numero ex gentiliū superstitione aut haruspicum veterum disciplina, inter Christianos etiam prodigiosa censentur, quæ talia non sunt; ex. gr. apum examina si locis insolitis insident, pro malo habetur omine apud *Livium l. XXI. c. 46. l. XXIV. c. 10. l. XXVII. c. 25. Tacit. Ann. XII. 64. Plutarch. in M. Bruto, f. 1002. a. & Valer. Maxim. l. I. c. 6.* Contra *Plinius H. N. l. XI. c. 17.* Apes, inquit, *sederunt in castris Drusi imperatoris, cum prosperrime pugnatum apud Arbalonem est, haud quaquam perpetua aruspicum conjectura, qui dirum id existimant semper.* confer *Julium Obsequentem cap. 131.* Ambrosii Mediolanensium Episcopi infantis adhuc ori apes infedisse, *Paulinus* in vita ejus narrat: *Hoc pater augurio letus, si vixeris, inquit, chare puer, tua te mittet facundia*

E

dia

ais ad astra : ut *Baptista Mantuanus* id omen interpretatur. Sic *fulmina* ominosa gentilibus habita, & pro læto etiam auspicio accepta fuisse, indicat illud Ennianum, apud *Ciceronem* l. 2. de *divinat* : *Cum tonuit lævum, bene, tempestate serena.* Ubi per *lævum* seu sinistrum intelligi *prosperum*, ipse Cicero animadvertit. Simile omen *Plutarchus* in *vita Lycurgi* de fulmine observat. In contrariam vero partem plura exempla reperire est in historia, v. *Tacit. Annal. XIV, 12. 22.* *Dio Cassius* l. XLII. inter prodigia, quæ mutationem reipublicæ Rom. tempore *Julii Cæsaris* antecesserunt, fulmine tactum capitolium & fanum fortunæ retulit. Apud *Livium* l. XXIV, 10. inter prodigia sinistra refertur, atrium publicum in Capitolio, ædes in Campo Vulcani, murus ac porta Gabiis, de cælo tacta. confer *Liv. l. XXV, 7.* & *Ciceronis* l. II. de *Divinat.* qui *haruspicum* auguria deridet, collata de eo *Augustini* censura L. IV. de C. D. c. 30.

§. 44.

Sic multa *sanguinea signa*, vel speciem talium habentia, visa creditaque sunt infausta prodigia, quæ talia non fuerunt, v. *Livium* l. III, 2. XXIV, 10. 12. XXVII, 13. XLII, 20. *Tacit. l. I. Hist. c. 3. Annal. l. XII. c. 64. Curt. l. IV, 2.* Plura hujus generis signorum, quæ prodigiosa dicuntur, exempla *Julius Obsequens* c. 26. 55. 56. 60. 71. & *Conradus Lycosthenes* in *chronico Prodigiorum ac Ostentorum*, quæ præter naturæ ordinem, motum & operationem & in superioribus & his inferioribus mundi regionibus, ab exordio mundi usque ad hæc nostra tempora acciderunt, *conscripto*, & *Basileæ* a. 1557. per *Henricum Petri* edito, memorat. confer *Jac. Gaffarelli* libr. de *Curiosit. inaudit. part. IV. c. 12. Camerar. Hor. Subcisiv. cent. III. c. 14.* & *Alexandr. ab Alexandro Genial. dier. l. III. c. 15.*

§. 45.

Nimirum, ut supra præmonuimus, non omnia ejusmodi *signa insolita* spernenda vel insuper habenda sunt; nec etiam omnia, quæ talia videntur, superstitiose attendenda, aut imperiti vulgi more pro divinis venditanda sunt. Qui enim superstitiosi, aut caussarum rerumque naturalium imperiti sunt, in *excessu* hic peccant; quando multa phænomena in aëre, mari & terra pro divinis habent prodigiis; quorum tamen causas & operationes naturales, Physici demonstrant. Fovent autem ejusmodi persuasiones homines temporibus maxime calamitosi, quale etiam hoc nostrum est. Ubi anxio futurorum metu suspensi, qualibet etiam naturalia aut etiam fortuita, in miracula & prodigia trahunt. Unde *Tacitus* olim *l. I. H. c. 86.* *Prodigia rudibus sæculis etiam in pace observata, non tantum in metu audiuntur.* Quia, ut *Livius l. V. c. 51.* scribit, *res adversæ religionem admonent.* *Augustinus* libris de *Civ. DEI*, hujus superstitionis apud Romanos inolitæ exempla passim annotat, quæ hic allegare prolixum foret. Accedunt sæpe sacrificuli aut superstitiosi augures inter clericos, quibus *quæstui sunt capti superstitione animi*: hi, inquam, superstitiosi vulgi more imaginationes & superstitiosam credulitatem fovent; cum Mosis & Prophetarum vaticinia potius attendere deberent, *Luc. XVI, 29.* Exempla talium prodigiorum aut visionum fictarum *Jo. Niderus*, qui sub Sigismundo imperatore claruit Theologus, de *Visionibus l. III. c. 1. 2. 8.* & *Aventinus Annal. Bojor. l. VIII. p. 791.* memorant. Ita apud Gentiles olim in superstitionem quoque sæpe versa legimus signa naturalia; ut cum in castris Romanorum, orta seditione, luna repente deficeret, milites qua ratione id fieret ignari, percussis superstitione animis, eo tanquam ominoso sibi casu terrebantur, v. *Tacit. l. I. Annal. c. 28.* E

gregia hanc in rem *Augustini* observatio est, l. II. de *Doctrina Christi*, quando c. 24. ostendit; *nonnullis vim portendendi natura non inesse, sed præsumptione & superstitione imponi.* confer ejusdem *sequ. cap. 25. & Ciceronem l. II. de Divinat.* Non tamen promiscue contemnenda sunt portenta, quæ in nubibus aut aëre ante ingruentem belli tempestatem sæpius inspecta vel audita leguntur: ut acies, pugnae, armorum strepitus & similia. Nam sive illa dæmonum magia, sive alia Dei extraordinaria operatione excitentur; tamen ex tot exemplis a *Jacobo Gaffarello* in libro de *curiositatibus inauditis Part. IV.* ex historia congeffis constat, bella & publicas calamitates mox infecutas esse. confer *Augustini lib. de Divinat. Dæmonum tom. III. opp.* Nam, si populus contumax atque occæcatus Prophetas audire recusat; Deus sæpe illum per signa insolita excitare aut terrere prius solet, quam illum in ira sua visitet. conf. *Gaffar. cit. libr. p. II. §. 7. §. 46.*

In defectu igitur peccant homines profani, contemtores omnium talium Signorum, ut fortuitorum; ut Galba imperator olim supra jam notatus. confer *Senecam l. I. de Ira, sub finem.* Hi inquam, cum nesciant, DEUM omnia, etiam ea, quæ nobis fortuita videntur, regere, nulla signa insolita attendunt, aut prodigia esse credunt. Sapientius hac in parte *Ammianus Marcellinus* judicat, quando l. XXI, 1. scribit: *Amat benignitas Numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere, quæ impendent.* Sane, etsi fulmina causas naturales habeant; si illis tamen sacras ædes fuisse tactas, aut etiam homines prostratos ac enecatos fuisse legimus aut videmus; id signum irati Numinis, quod fulmina regit, aut tristis auspicii non immerito habetur: præsertim cum id plurimis ex historia probari exemplis queat. Quapropter
Aver-

Averrois, Cardani, Pomponacii & Conimbricensium Philosophorum in tract. 2. de meteor. c. 5 sententiam improbamus, qui hac in parte tantum ad causas phyficas & secundas, non ad primam h. e. DEum respiciunt: qui illa dirigit, & non sine attentione finis quandoque extraordinarii spectari vult. Ita etiam de *terre motibus horrendis* sentiendum, arbitratur. Nempe licet illi ex causis naturalibus proveniant, ac ratione causæ efficientis secundæ & materiæ sint naturales; tamen ratione causæ primæ, finis & eventus, *Ἐπιούριος* sapius subest; ac adeo pro ominosis signis haberi debent. v. *Pf. XVIII, 14. XXIX, 3. Job. XXXVII, 2. 3. seq. c. XXXVIII, 34. 2. Paral. VII, 13. Es. XXIX, 6. Jerem. X, 13. Matth. VI, 30. & X, 29. Joël. I, 4. c. II, 26.* confer *P. Orosii l. IV. Hist. c. 4. 5. Joseph. de B. Judaico l. VII, 12.*

§. 47.

Sed nos velut e diverticulo, ad contemplationem *Sig- gnorum nostri temporis*, quod Christus requirit, revertemur. Supra autem §. 34. 35. 36. 39. illa designavimus, ex quibus rebus publicis aut regnis fausta ominari haut licet. Ea enim ita manifesta sunt, ut gentiles olim talia ominosa aut portentosa crediderint. Ego ita comperi (scribit *Sallustius Orat. 2. de republ. ord.*) *omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt.* Contra vero signum & indicium manifestum instantis ruinæ est, ubi principes ob mentis occæcationem, faniora consilia vel non intelligunt, vel repudiant. Id *Vellejus Paterculus Hist. l. II. c. 57.* cum de præfagiis ante dixisset, sapienter animadvertit: *Profecto, ait, ineluctabilis fatorum vis, cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Quod & *Ammianus Marcellinus l. XIV, 36* sentit: *Solent manum injectantibus satis hebetari sensus hominum & obtundi.* Et iterum *Vellejus l. c. c. 118.* *Quippe ita*

E 3

se



se res habet, ut plerumque, qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est: ut quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Ita, ut Livius l. V, 37 loquitur; occæcat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem frangi non vult. Certius hoc nos divinus vates, Esaias c. XXIX, 14 edocet. Itaque nos, qui Christianam philosophiam profiteamur, per fatum, non illud Stoicum, quod cæcum est; sed DEI providentiam atque directionem rerum humanarum omnium, cum Augustino l. II. c. 1. III. c. 1. & VI. de C. D. c. 9. & Salviano Maffiliensi Presbytero, l. I. de gubernatione DEI p. 11. 26. 30. 31. 34. edit. Baluz. attendere debemus. confer Dannbaueri Hodosoph. Phen. III. de Fato divino.

§. 48.

Tutissimum hac in parte fuerit, in *contemplandis signis temporum*, attendere primum divina præfagia a Mose & Prophetis consignata; deinde illa ad præsentem rerum, quæ contra consuetum ordinem in civitate fiunt, statum prudenter applicare, aut hunc cum divinis Prophetarum vaticiniis conferre. Inde quid adparentibus simul signis alias insolitis expectare habeamus, tutius ominari licebit. Elegantem hac de re locum communem habet Melanchrb. *Postill. Latin. part. III. Domin. Trinit. X. p. 561.* Nimis tamen hic audaces nobis videntur novi augures & vates, qui fatorum instantium singularia aut circumstantias temporis, personarum, loci & modi præfagire atque determinare præsumunt. Cum illa divinæ sapientiæ ac providentiæ directrici unice permittenda sint, ac absque divina speciali revelatione certa designari nequeant; nostrumque, potius sit, Deum timere, vigilare, & seria pœnitentia Numen iratum nobis mature propitiare; ut iudicia sua, multa miseratione mitigare, piosque conservare dignetur, *Luc.*

XIII.

XIII, 1. 2. 3. 4. *Ez.* LV, 6. 7. *Jerem.* XXIX, 13. 14. Est enim & tempus visitationis iræ, quo DEUS exorari non amplius vult, *Prov.* I, 28. *Jes.* XXIX, 9. *Jerem.* XV, 6. XVIII, 23. *Ezech.* VIII, 18. XIV, 14. *Zach.* VII, 13. *Mich.* III, 4. *Amos.* VIII, 14. *Job.* XXVII, 9.

§. 49.

Visis ita *signis* reipublicæ ominosis, veniendum nunc ad *signa temporis nostri*, *Ecclesiæ* quoque *ominosa*; seu quæ mutationem aliquam aut conversionem ejus portendere videntur. Nam Christus etiam Phariseos signa talia attendere jussit. Par igitur fuerit, ut & nos Christiani ea animadvertamus & in timore dijudicemus. Nolumus vero, quæ circumferuntur novorum augurum & haruspicum vaticinia, aut præfagia incerta aut temeraria adferre; cum certiora nobis in divinis literis suppetant. Quæ, si ad illa uno oculo, altero ad Ecclesiæ nostræ præsentis statum directo intuemur; non possunt non sese oculis nostris ingerere. Spectamus enim manifestam multis in locis corruptionem sanioris doctrinæ mortumque perversitatem: videmus apostasias & in religione frigus; audimus & legimus multorum somnia fanatica; observamus cultum DEI a majore hominum parte, in externis rebus atque ceremoniis seu, ut dicitur in Papatu, in opere operato tantum collocari. Contra interior DEI cultus in Spiritu & veritate, ac enixum veræ pietatis studium multis fit suspectum: immo ob hypocritas aut insurgentes fanaticos, qui illud tantum simulant, exosum etiam habetur. Contentiones inde, factiones, dissidia atque rixæ plurimos in Ecclesia cœtus turbant. Præsertim cum passim inveniuntur doctores, quales apud *Jeremiam* cap. XXIII, 11. 14. 15. & *Ezechielem* cap. XXII, 24. seqq. notantur. Hostes interim Ecclesiæ nostræ aperti, vires sumunt, eamque



que sub jugum Antichristi mittere machinantur. Quæ signa, si quis non animadvertit, & Ecclesiæ nostræ portendere gravissimum DEI judicium; næ eum Pharisæis cæciorem, aut in historia nostri temporis valde hospitem, aut communis sensus plane expertem esse oportet. Memorabilis sane B. nostri *Lutheri* sententia observanda hic est in *prefat. in Jerem.* Germanicis Bibliis præmissa: Wir lernen aber aus Jeremia unter andern/ daß/ wie gemeiniglich/ ie näher die Straffe ist/ ie ärger die Leute werden/ und ie mehr man ihnen prediget/ ie höher sie es verachten. Daß man greift/ wenn GOTT straffen will/ daß er die Leute verstocken läßt/ auff daß sie ohn alle Barmherzigkeit untergeben/ und mit keiner Buße GOTTES Zorn versöhnen. confer *Prov. I, 24. seqq. Form. concord. artic. XI. p. 813. 20. 21. edit. Lips.* Quapropter excœcationem & indurationem populi, Theologi saniores omnes pro certissimo iræ & judicii divini instantis signo habent, nec eorum *ἀπορία* adprobant, qui, nullo habito discrimine, totaliter induratis gratiam DEI usque ad mortem corporalem, magno cum ecclesiæ scandalo promittunt, eoque securitatem improborum fovent, *Ezech. XXII, 26. 28.*

§. 50.

Sane quoties in historia sacra & ecclesiastica talia, quæ memoravimus, signa occurrisse legimus; toties magnam in Ecclesia conversionem aut memorabilem mutationem subsecutam fuisse animadvertimus. Ex ecclesiastica tantum historia quædam exempla illustriora attingam, prætermittis, quæ in sacra & prophetica historia Christianis magis nota occurrunt. *Eusebius H. E. l. VIII, c. 1.* cum statum Ecclesiæ sui temporis jam exulceratum, & quæ eum consecuta mox sunt fata & judicia DEI perpenderit, subjicit: *Sed cum ex nimia libertate in negligentiam ac dissidia pro-*

prolapsissemus, cum alter alteri invidere atque obtrectare
cœpisset; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, ver-
bis tanquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulneran-
tes; cum antistites adversus antistites; populi in populos
collisi, jurgia ac tumultus agitent; denique ore fraus & si-
mulatio ad summum malitiae culmen adolevisset; NB. tum
divina ultio levi brachio ut solet, integro adhuc ecclesie statu
& fidelium turbis libere convenientibus, sensim ac moderate
in nos cœpit animadvertere; orsa primum persecutiōe ab iis,
qui militabant. Cum vero sensu omni destituti (ὡς δ' ἀνε-
πιστοῦ θεοῦ ἐχούτες) de placando DEI Numine ne cogitemus
quidem; quin potius instar impiorum quorundam res huma-
nas nulla sollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quo-
tidie crimina aliis adjiceremus: NB. cum pastores nostri
spreta religionis regula, mutuis inter se contentiōibus decer-
tarent, nihil aliud quam jurgia, minas, emulationem, odia ac
mutuas inimicitias amplificare studentes; principatim quasi
tyrannidem quandam contentissime (ἐκδυμῶς) sibi vindican-
tes: tunc demum juxta dictum Hieremiae, obscuravit Domi-
nus in ira sua filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israël;
nec recordatus est scabelli pedum suorum in die irae suae. Sub-
mersit Dominus omnem decorem Israël & maceries ejus omnes
destruxit. Et sicut in Psalmis praedictum est: evertit testa-
mentum servi sui: profanavit in terra sanctitatem ejus, per
ecclesiarum scilicet subversionem, &c. Hæresis nimirum
Ariana mox prævaluit, Julianus Apostata eam variis
modis divexavit, gentes barbaræ ab oriente & occidente
irruentes, cum Ecclesia imperium Romanum dilacerarunt,
devastarunt.

§. 51.

Quid Ecclesiae in Hispania & Africa, ubi quarto seculo
Christianismus floruerat, ob peccata populi & contentiones
cleri

F

cleri

cleri inter se, insequente seculo quinto acciderit, ex *Augustino*, *Fulgentio*, *Orosio* & *Sabviano*, si prolixis nobis esse liceret, multis testimoniis comprobari posset. Conferri hic merentur *Procopius de Bell. Vandal. l. I.* & *Victor Uticensis de Persecut. Vandal. l. I.* item *Possidius* Episc. Calamensis, Augustini amicus intimus, in *vita Augustini c. 29.* Nec historiae peritis ignotum esse potest, quæ sexto & septimo seculo, postea fata Ecclesiam manserint; cum ingruente magis literarum barbarie, clerus inter se litigaret, & Episcopi Romani atque Constantinopolitani de primatu concertarent; & Mohammed, impostor ille orientis famosus, tot Ecclesias in oriente florentes olim opprimeret. Octavo seculo certamina de cultu imaginum fervebant, cultu Dei interno propemodum extincto. Longum foret, ire per secula subsequencia & fata atque judicia DEI, quibus scelera cleri & populi ultus est, recensere. Minus inde quis mirabitur, qui Papatu jam seculo XI. in occidente ad fastigium perducto, legerit, mores Christianorum atque doctrinam inter illos maxime corruptam fuisse; & seculo XV. currente, Turcarum tyrannum Constantinopolin expugnasse, Græcamque seu orientalem Ecclesiam sub jugum misisse. Nam mensura peccatorum istius gentis impleta fuerat. Ideo Nemesis divina lento quamvis pede incedens, tandem adparuit. confer *B. Lutheri Expositi. Micha tom. VIII. Witteb. f. 500.*

§. 52.

Ergo, si ex signis, observationibus, comparationibus præteritorum temporum cum præsentibus & futuris parallelis augurari licet, (licet vero maxime, & decet etiam omnes Christianos maxime Theologos) omissis aliis signis, (quæ inter prodigia & præfagia in regno naturalia vaticidicis supra relata fuerunt) præsentire; immo absque superstitione

one

one præſagire poſſumus, *magnam revolutionem Eccleſia noſtra imminere.* Quia hinc inde acrius de diverſis docto-
rum opinionibus, quam de vero Chriſtianismo promo-
vendo certatur. Immo enixum pietatis ſtudium multis
adeo ſuſpectum fit; quia ſub cultoribus pietatis ſapientis
hypocritæ & fanatici latere ſolent. Quæ ſuſpicio ad Sa-
tanæ ſtrategemata pertinet. Interim judiciorum divi-
norum inſtantium circumſtantias temporis, modi &
eventus, nemo certo determinare valet. Audacia e-
nim eſt frivola, tempora fatorum divinatorum abſque cer-
ta divina revelatione ſpeciali deſignare, *Matth. XXIV, 36. c.*
XXV, 13. Marc. XIII, 32. Act. I, 8. Qualis fuit inter alios non
paucos Autor anonymus quidam Anglus, qui Romæ rui-
nam fatalem a. 1666. & mundi finem elapſis poſtea 45. an-
nis per literas præſagire auſus eſt, quam vaticam temeri-
tatem *Theophilus Spizelius*, Theologus Auguſtanus, merito
perſtrinxit. Plura ejuſmodi vaticiniorum nomina recen-
tiora, quæ curioſis rerum non ignota ſunt, hic commemo-
rare ſuperſedemus. Nec vacat etiam dicere de *ſignis*, quæ
in Apocalypſi Johannea ultimarum fatorum prænu-
ciis exhibentur, quæque miris multorum interpretamentis
magis obſcurata, quam dilucidata fuiſſe novimus. Confer
Joſephi Medi opuscula Lat. ad rem Apocalypſicam ſpectantia,
& vaticinia, quibus regnum Anti-chriſti inſignis lapſus ſeu
degeneratio deſignatur, per Henricum Morum Anglicum Theo-
logum celeberrimum explicata. Sufficiant nobis Signa Pro-
phetica, Chriſti & Apoſtolica ad pœnitentiam, *1 Cor. X.*
2 Petr. III. propoſita; ut Numinis divini iram mitigemus,
atque in tempore recte ſapere, Chriſtoque in fide unice ac
perſeveranter adhæreſcere addiſcamus; ne imparatos aut
male præparatos nos illa judicia DEI obruant, *Matth. XXIV,*
44. ſeqq.

Coronidis tandem loco, e *Sermonibus Augustini*, quos obsidionis Hipponensis tempore habuit, partem, quæ nostris quoque calamitosis temporibus convenit, adscribere juvat. *Quoties inquit, fratres carissimi, aliqua adversitates veniunt, quoties aut hostilitas, aut siccitas, aut mortalitas justo DEI judicio nobis fuerit irrogata, non ejus injustitia, sed nostris hoc peccatis imputare debemus: quia, sicut Apostolus, non iniquus est DEUS, qui infert iram, Rom. III, s. Mulierum enim malis moribus, atque clamoribus exagitatus est mundus. Et ut hoc omnes intelligere possint, aperitius caritati vestre insinuo. Sic sunt boni & mali: quomodo si duo vasa sint plena, & unum habeat putredinem, & aliud aromata pretiosa, uno velabro ventilata. Illud vas ubi fuerint aromata, odorem desiderabilem, aliud autem fetorem intolerabilem reddit. Ita simul boni atque mali indiscrete quidem turbati, sed alto DEI judicio separati. Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit, qui boni sunt velut sancta vasa, gratias agunt DEO, qui eos castigare dignatur: illi vero qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & murmurant contra DEUM dicentes: o DEUS, quid tanti malifecimus, ut talia patiamur? unde sepe fit, ut infelices isti amore hujus vitæ obligati, nec istam tenere possint, & illam sempiternam, de qua fugiet dolor & gemitus, amittant: & quod pejus est, nec ista mala presentia possunt evadere, & ad illa, quæ eterna mala sunt, eorum crimina eos faciunt pervenire, v. *Serm. de Tempor. CXI*. Memorabile etiam est votum Augustini, quod tempore a Vandalis obsessæ urbis, (*Possidio in vita ejus c. 29.* memorante) fudit: *Noverimus me hoc tempore nostræ calamitatis DEUM rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur; aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certe me de hoc seculo ad se accipiat.* Et DEUS hoc sancti Patris votum exaudivit: nam tertio obsidionis mense febribus fatigatus decubuit, a Domino per beatam analyfin, ab omni malo liberatus e vita emigravit, antequam urbs a Vandalis occupata atque concremata fuisset. v. *rom. X. opp. August.* edit. Venet. p. 313. Hanc gratiam ut DEUS, ingruentibus judiciis suis, omnibus servis suis fidelibus impertiatur, devote ipsum in Christi nomine precamur.*

S. D. G.

753962

ULB Halle

3

001 854 02X




Sb.

2

10/12







Farbkarte #13

B.I.G.

2. D. B. V.
DE

TEMPORUM SERVANDIS,

ex Matth. XVI, 1. 2. 3. 4.

ANNIS DISSERTATIO,

Quam

adæ Facult. Theologicæ consensu,

PRÆSIDE

DOMINO

JOHANNI RECHENBERG,

Primario & Alumn. Elect. Ephoro,

atq; PATRONO omni pietate venerando,

XXIII. Sept. A. CHR. M DCC IV.

in Auditorio Maj. Principp. Collegii,

pro præsentanda Θεολογικῶν disquisitioni

submitte.

JOHANNI HELCK, Schleusinga-Fr.

Alumn. Elector.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIAE,

apud CHRISTOPH. FLEISCHERUS.

